Whear

DE RATIONE ET METHODO legendi HISTORIAS

Dissertatio, habita *Oxoniæ* in Scholâ Historicâ, 12. Iul. 1623. à D.W.

Primo Historiarum Prælectore *Publico, ex Institutione Clariss. viri,* GVLIELMI CAMDENI, CLARENTII.

LONDINI
Excudebat I.H. 1623.

Educatum 4 F35 Wdyatan

907
W56d

VIRO CLARISSIMO,

GVLIELMO CAMDENO,

CLARENTIO, Benefactori meo munificentissimo.

CVm ad hanc *Prouinciam*, cui præsidet *Historia*, benigno tuo delectu (vir Clarissime) & prompta matris ACADEMIÆ adstipulatione accesseram, priusquam *Authorem* à te designatum, principe loco, *Iuuentuti Academicæ legendum aggrederer*; præloquia quædam ad *Auditores meos* non inutiliter habenda censebam, quæ viam ad *Historiarum* lectionem præstruerent, & intellectionem earum faciliorem redderent. Primò igitur, *vocis etymo* curiosè notato, *ipsius rei originem* mox diligenter anquisiui; inde naturam eius, & definitiones excussi, posted *species* varias explicui, tum in membra & partes eam dispertiui; de alijs denique

Educatum 4 F35 Walter

890355

plurimis, quæ ad Antiquitatis & Historiæ illustrationem facere videbantur, serio atque attentiore animo disserui. Isthæc omnia diuino adminiculante fauore, prout ingenij nostri paupertini fuêre vires, superiore anno duodeviginti lectionibus expediuimus: quarum partem aliquam apud te priuatim, meipso recitante, dignatus es audire, atque, erudito insuper calculo tua manu adscripto, probare. Anni demùm exodio, Methodum legendi Historias Auditoribus meis proposui, non exactam illam (fateor) quam tacitus mecum sæpiùs optaui vt aliquis daret, sed quam pro tempore potui; breuem quidem, perspicuam tamen, soloci contextam filo, sed Iuuentuti Academicæ (vti spero) non ingratam, aut inutilem futuram. Qualem qualem typis nunc excusam & multiplicatam, tuo nomini (vir Clarissime) dicandam, consecrandam duxi, inter alias hisce de causis, vt præliminaris isthæc saltem pagina, tuum erga me meritum notitiæ Lectorum palàm obferat, & meæ qualis-

qualiſcunque gratitudinis fidem porrò propaget: deinde, vt ſi quâ vel iſtæ tenues lucubratiunculæ, vel alij poſt-labores mei, ſtudioſis Hiſtoriæ aliquod attulerint adjumenti; quicquid id fuerit, ſecundum Deum tibi acceptum ferant, cuius ſola munificentia in immenſum Iuuentutis Academicæ bonum hanc Spartam inſtituit, & mihi ornandam demandauit: Quod vt nauitèr faciam, atque efficaciter, Deum quæſo veneroroque vires mihi præſtet, & ingenium par tanto oneri: tibi verò V. C. ætatem ſenectam adhuc vinacem & valentem, ſic vt vberiores indies munificentiæ tuæ fructus longùm videas, eiuſque remunerationem æternam poſtea in cælis, ſed ſeriùs accipias.

Hoc votum eſto meum; vos hoc, generoſa juuentus,
Meritò lubentes vſq; comprecamini.

Beneficiarius tibi auùm deuinctiſſimus

DEGOREVS WHEAR.

Scripſi Oxoniæ ad 3. Kaland. VIII^bris 1623.

DE RATIONE ET METHODO legendi Hiſtorias.

VT fructuoſa magis fiat Hiſtoriarum lectio, & largum ſui operis pretium ſecum ferat, tria imprimis ſtudioſo cuiq; neceſſaria dicuntur. 1 Certus ordo, ne confusè, vagè, aut deſultoriè legat. 2 Intelligens iudicium, vt quæcunque legerit, dextrè capiat, & quæ ſunt eligenda probè diſcernat. 3 Diligens induſtria, vt electa cuiuſcunque generis, velut annonam in horrea quædam, ordine recondat. Tria itaque hodiernæ diſſertationis quaſi capita ſtatuemus. Primum Authores præcipuè legendos continebit, eorumque ordinem indicabit. Secundum quis ſit habendus Hiſtoriarum Lector idoneus docebit. Tertium viam monſtrabit colligendi fructus, eoſque tan-

quam in Cella promptuaria aptè diſponendi. Quod primum attinet, talis inſtituatur Authorum ſeries, quæ temporum interualla, Imperiorumq; ſucceſſiones ἀκριβῶς, atque ad amuſſim imitetur. Temporum autem interualla, quatenus Hiſtoriam reſpiciunt, ex *Varrone* notat *Cenſorinus* tria. Primum, ab Hominum principio ad Cataclyſmum priorem, quod propter ignorantiam (inquit) ἄδηλον vocatur. Secundum, à Cataclyſmo priore, ad Olympiadem primam, quod, quia in eo multa fabuloſa referuntur, μυθικὸν nominatur. Tertium, à prima Olympiade ad *Cæſares*, & deinceps dicitur ἱστορικὸν, quia res in eo geſtæ veris Hiſtorijs continentur. Primum illud interuallum, quod *Varroni* (doctiſſimo licet) ἄδηλον videbatur, nobis ἰσθηλον eſt, ex ſacra Pagina, & annos continere 1656, meridiano ſole clarius; quorum Hiſtoriam, primis 6. cc. Geneſeos, à *Moſe* breuiter deſcriptam habemus, nec alibi quicquam certi de rebus ante Diluvium geſtis legendum occurrit. Secundum interuallum à Diluvio ad primam Olympiadem (circa An.M.3174. 34. *Vzzia Iudæorum*) annos complectitur ſupra mille quingentos; quod, licet *mythicon* & fabuloſum à *Varrone* non abſque ratione diceretur, nos tamen eius certam, &

Cenſor. de die Natali, c. 21.

(quod

(quod Eccleſiam ſpectat,) amplam ſatis habemus Hiſtoriam, à Diuinis illis S.S. amanuenſibus, *Moſe* ſc. & Prophetis, literis mandatam: cui etiam, de Gentium Nationumq; imperijs, rebuſque geſtis non pauca immiſcentur, ad quorum veritatem, dubioſa illa & incerta narrationum, quæ (in profanis quibuſdam Hiſtoricis) de ijs temporibus habentur, examinanda cenſemus. Tertium interuallum, quod ſolum volunt Hiſtoricum eſſe *Cenſorinus* & *Varro*, ab Olympiade primâ ad Cenſorini ætatem, annos ſupra mille & quatuordecim comprehendit, ad quos refertur Hiſtoriæ veteris profanæ totum illud, quicquid hodie extat integrum, & certâ Temporum notatione diſtinctum. Placetne, vt quænam per hæc temporum interualla ſummorum Imperiorum ſeries fuerit, & ſucceſſio, proponam? id pro me faciet, neſcio quis *Æmilius Sura* apud *Velleium Paterc.* *Aſſyrij* (inquit) *Principes omnium gentium, rerum potiti ſunt, deinde Medi, poſtea Perſæ, deinde Macedones, deinde duobus Regibus Philippo & Antiocho, qui à Macedonibus oriundi erant, haud multò poſt Carthaginem ſubactam deuictis, ſumma Imperij ad Pop. Rom. peruenit.* Vnde liquidò patet, quicquid contra argutentur *Cadmus*, haud nuperâ authoritate, aut im[illegible]sâ quorundam

Ann. Chriſti 238.

Vell. Paterc. l. 1.

Hanc eandem ſucceſſionem facit Dion. Hal. l. 1. protm. Ariſtides in Panathenaica, quinque omnium maxima imperia agnoſcit, Aſſyrium, Medicum, Perſicum, Macid. Romanum.

rundam Neotericorum opinione niti, decantatam illam antiquioris mundi Regnorum diuisionem, in quatuor Monarchias, siue summa Imperia, quorum duo priora in *Asia* successiuè floruerunt, ideoque Asiatica dicta; duo reliqua suo ordine in *Europa*, eademque ratione Europæa appellata. Has appellationes, vt & Imperiorũ distinctiones probare, suaq; authoritate confirmare videtur paulò superius ipse *Velleius*: *Insequenti tempore* (inquit) *Imperium Asiaticum ab Assyrijs, qui id obtinuerant annis mille septuaginta, translatum est ad Medos, &c.* Sed non est tanti, vt de appellatione, siue etiam de distinctione Imperiorum vltra litigemus: Illud apud omnem antiquitatem longè testatissimum est, adeò latè vbique per totam *Asiam* dominatos olim *Assyrios* & *Chaldæos*, postea *Medos* & *Persas*, vt summa tenuisse totius orbis, qua tunc habitabatur, Imperia iure meritoq; dicantur: idem etiam de *Græcis* & *Romanis* multò magis suo tempore affirmari potest, à quibus subiugatam, non *Asiæ* modo & *Europæ*, sed & *Africæ* quoque partem, si non maximam, certè potiorem, ex Historijs nouimus. Primum illud *Assyriorum* imperium durationis [illegible] longissimæ, vtique per totum fere secundum *Censorinum* interuallum; imò adhuc

Vell. Paterc. lib. 1.

huc excurrit vltrà, (licet reuerâ fractum & imminutum) vſque ad annum 246. Tertij interualli, quo capta erat *Babylonia* à *Cyro* magno, & Monarchia *Perſarum* inchoata. Non me latet alias multas Reſp. & Dynaſtias, alia Regna, atque Imperia, hinc illinc per orbem terrarum floruiſſe, etiam tempore horum (quæ diximus) ſummorum Imperiorum, e. g. *Ægyptiorum*, *Lydorum*, *Argiuorum*, aliorum, de quibus mentio frequens habetur apud antiquos; præ cæteris tamen eminuiſſe iſtæc quatuor, notius eſt quam vt probationi longùm immoremur. Quapropter ſi quis horum Imperiorum, adeoq; totius mundi Hiſtorias cum fructu percurrere cupiat, antequam immenſum illud pelagus aggrediatur, aliquod prius deguſtet compendium, & à ſuccincta quadam Chronologia, ſeu breui aliqua Hiſtoriarum ſynopſi incipiat: inde enim ſeries temporum, imperiorum ſucceſſiones, generis humani præcipuas mutationes intimùl diſcat, exemplar denique atque ideam ἱστορικῆς ἰσηγείας, totius vniuerſalis hiſtoriæ vno quaſi intuitu contemplandam facili negotio (ſi velit) comparet. Proderit igitur haud parum, vel ſynopſin *Beateri* vel *Glaſeri* ſyngramma, & narrationem hiſtoricam legiſſe; *Sleidani*, *Melanthonis*, aut alterius

An. M. 3468. Olymp. 62.

alterius alicuius compendium vel Chronicon. Inter Chronologos *Funccium*, *Buntingum*, *Bucholcerum*, *Heluicum*, aut denique *Sethum Caluisium*, qui nuperrima editione ſuæ Chronologiæ operoſam adeo diligentiam adhibuit, vt nihil quicquam omiſerit, quo verum hiſtoriarum tempus exquiſitè doceatur. Et ſi diutiùs adhuc & pleniùs in hiſtoria vniuerſali verſari libeat, *Iuſtinus* legi poteſt, inde *Herodotus*, tum *Diodorus Siculus*, poſtea *Polybius*, & quidam alij Recentiores; ſed hi omnes poſt hiſtoriam Biblicam, quæ omnium antiquiſſima eſt, & ἀναντιῤῥητος veriſſima. Iam verò ſi ad partes per imperia ſumma placeat deſcendere, qui res Aſſyrio-chaldaicas narrant, *Beroſum* habemus, *Cteſiam*, *Metaſthenem*: habemus dixi? imò, quod maximè dolent Hiſtoriarum cultores, non habemus; fragmenta quædam *Cteſiæ* habemus, fortaſſe non notha; paucas *Metaſthenis* lacinias, & adulteratas quaſdam *Beroſi* rapſodias, a *Viterbienſi Monacho* ſuppoſitas, quibus parùm fidei adhibendum cenſent docti; noſque ideò ad *Ioſephum*, *Iuſtinum*, *Trogi* Epitimatorem, & *Diodori* antiquitates reuocant, præcipuè verò ad Hiſtoriam propheticam, in quâ ſolâ eorum pleraque quæ certæ & indubitatæ fidei de *Aſſyriis* & *Chaldais*,

Ann. 1622.

Gual. Raulæus, Eques Auratus noſtrate lingua hiſt. vniuerſalē ab initio Mundi vſq; finem Imperij Macedonici, vel tertiæ Monarchiæ, ex probatiſſ. authoribus coagmentauit, accurate quidem iudicio, methodo perſpicua, elegante ſtilo & virili.

dæis, poſt *Sardanapali* exitum haberi poſſunt, reperiuntur. Hiſtoriam ſacram immediatè ſubſequitur *Herodotus*, Ethnicæ pater Hiſtoriæ, idque diuina cum bonitate, tum prouidentia factum, vt ferè in eo ipſo quaſi momento quo deſinit prophetica Hiſtoria, *Halicarnaſſenſis Herodotus* ordiatur ſuam: nam cum Prophetæ in ſacris ſuis ſcriptis ea quæ digniora viſa ſunt vſque ad *Cyrum* ab ineunte mundo enarraſſent, *Herodotus* à *Gyge*, *Lydorum* Rege, (*Manaſſi Iudæorum* συγχρόνῳ) auſpicatus, mox ad *Cyrum* deueniens, *Medorum* & *Perſarum* (quorum Imperium ab eo, vti dictum eſt primum, cæpit) Hiſtoriam, ſtylo ſine ſalebris, ſedati amnis inſtar fluente, vſque ad *Zerxis* è *Græcia* fugam deduxit, continuam ducentorum quadraginta juxta annorum ſeriem 9. libris complexus: Cui etiam intertexuit *Egyptiorum*, *Græcorum*, *Scytharum*, aliarumque Nationum res geſtas eodem temporis interuallo. Huic ſuccedit *Thucidides*, dicendi artificio iuxta & fide clarus; Is à *Zerxis* è *Græcia* diſceſſu vſque ad viceſimum primum belli Peloponneſiaci, annorum ferè 70. Hiſtoriam, 8. libris definiuit. Etſi enim bellum ſuo tempore geſtum inter *Athenienſes* & *Peloponneſios*, (cuius & ipſe pars magna fuit) ex profeſſo ſcribendum

Cic. de Orat. lib. 2.

Ab An. Mund 3238.

Ad ann. Mun. 3476.

A.M. 3538.

alterius alicuius compendium vel Chronicon. Inter Chronologos *Funccium*, *Buntingum*, *Bucholcerum*, *Heluicum*, aut denique *Sethum Caluitium*, qui nuperrima editione ſuæ Chronologiæ operoſam adeo diligentiam adhibuit, vt nihil quicquam omiſerit, quo verum hiſtoriarum tempus exquiſitè doceatur. Et ſi diutiùs adhuc & pleniùs in hiſtoria vniuerſali verſari libeat, *Iuſtinus* legi poteſt, inde *Herodotus*, tum *Diodorus Siculus*, poſtea *Polybius*, & quidam alij Recentiores; ſed hi omnes poſt hiſtoriam Biblicam, quæ omnium antiquiſſima eſt, & ἀναντίρρητος veriſſima. Iam verò ſi ad partes per imperia ſumma placeat deſcendere, qui res Aſſyrio-chaldaicas narrant, *Beroſum* habemus, *Cteſiam*, *Metaſthenem*: habemus dixi? imò, quod maximè dolent Hiſtoriarum cultores, non habemus; fragmenta quædam *Cteſiæ* habemus, fortaſſe non notha; paucas *Metaſthenis* lacinias, & adulteratas quaſdam *Beroſi* rapſodias, a *Viterbienſi Monacho* ſuppoſitas, quibus parùm fidei adhibendum cenſent docti; noſque ideò ad *Ioſephum*, *Iuſtinum*, *Trogi* Epitimatorem, & *Diodori* antiquitates reuocant, præcipuè verò ad Hiſtoriam propheticam, in quâ ſolâ eorum pleraque quæ certæ & indubitatæ fidei de *Aſſyrijs* & *Chaldais*,

Ann. 1622.

Gual. Raulæus, Eques Auratus noſtrate lingua hiſt. vniuerſalē ab initio Mundi vſq; finem Imperij Macedonici, vel tertiæ Monarchiæ, ex probatiſſ. authoribus coagmentauit, accurate quidem iudicio, methodo perſpicua, elegante ſtilo & virili.

dæis, poſt *Sardanapali* exitum haberi poſſunt, reperiuntur. Hiſtoriam ſacram immediatè ſubſequitur *Herodotus*, Ethnicæ pater Hiſtoriæ, idque diuina cum bonitate, tum prouidentia factum, vt ferè in eo ipſo quaſi momento quo deſinit prophetica Hiſtoria, *Halicarnaſſenſis Herodotus* ordiatur ſuam: nam cum Prophetæ in ſacris ſuis ſcriptis ea quæ digniora viſa ſunt vſque ad *Cyrum* ab ineunte mundo enarraſſent, *Herodotus* à *Gyge*, *Lydorum* Rege, (*Manaſſi Iudæorum* συγχρόνῳ) auſpicatus, mox ad *Cyrum* deueniens, *Medorum* & *Perſarum* (quorum Imperium ab eo, vti dictum eſt primum, cæpit) Hiſtoriam, ſtylo ſine ſalebris, ſedati amnis inſtar fluente, vſque ad *Zerxis* è *Græcia* fugam deduxit, continuam ducentorum quadraginta juxta annorum ſeriem 9. libris complexus: Cui etiam intertexuit *Egyptiorum*, *Græcorum*, *Scytharum*, aliarumque Nationum res geſtas eodem temporis interuallo. Huic ſuccedit *Thucidides*, dicendi artificio iuxta & fide clarus; Is à *Zerxis* è *Græcia* diſceſſu vſque ad viceſimum primum belli Peloponneſiaci, annorum ferè 70. Hiſtoriam, 8. libris definiuit. Etſi enim bellum ſuo tempore geſtum inter *Athenienſes* & *Peloponneſios*, (cuius & ipſe pars magna fuit) ex profeſſo ſcribendum

Cic. de Orat. lib. 2.

Ab An. Mund 3238.

Ad ann. Mun. 3476.

A. M. 3538.

ſcribendum ſuſcepit, annorum tamen 50. qui inter *Xerxis* fugam, vbi *Herodotus* deſinit, & Belli *Peloponneſiaci* initiũ interſunt, Hiſtoriam, lib. 1. à propoſito nonnihil digrediens, præmittit. Hiſtoriæ *Thucidideæ* filum continuat *Xenophon*, Apis *Attica* ob melleam dicendi ſuauitatem nuncupatus: Is bella inter *Græcas* præcipue ciuitates bellata per 44. annos, vſq; ad præclarum illud
A M. 3583. *Epaminondæ* prælium ad *Mantineam* deſcribit: Expeditionem *Cyri* quoque iunioris narrat aduerſus fratrem ſuum *Artaxerxem Mnemonem*, cui ipſe interfuit, *Græcorumque* reliquias poſt *Cyri* interitum mirâ & prudentia & fortitudine per infinita viarum pericula reduxit. *Xenophonti* ſuccedit *Diodorus Siculus*, apud quem præter antiquitates *Aegyptiacas*, *Aſſyriacas*, *Lybicas*, *Græcas*, aliarumque nationum res geſtas, ante Bellum *Troianum* ſummatim prioribus 6. libris expoſitas, ab initio lib. 11. ad 16. vberiorem reperietis memoriam rerum à *Perſis*, *Græcis*, *Spartanis*, *Siculis* etiam & *Carthaginienſibus* geſtarum poſt tra-
A.M. 3589. iectionem *Xerxis* in *Græciam*, vſque ad Olymp. 104. finem, atque ita l. 16. Hiſtoriam *Xenophonteam* quaſi pertexit & continuat, *Philippi Macedonis* geſta narrando: pergit 17. *Alexandri M.* egregia facinora explicando,

cando, à quo tertia Monarchia *Græcorum* instituitur, Olympiade 112ª. successorum *Alexandri* Historiam Lib. 18. 19. 20. vsq; ad Olympiadis 119. finem prosequuntur. Horum temporum Historiam, si (eà quam vobis exhibuit *Diodorus*) adhuc plenioré desideretis, *Gemistus*, *Arrianus*, *Q. Curtius* dabunt; atque adhuc vlterius, *Plutarchi Demetrius*, *Aratus*, *Philopœmen* suppeditabunt. Post *Diodorum Siculum*, *Polybius* (prudens scriptor si quis alius) legendus venit; eorum temporum res gestas hic sibi narrandas proponit, quibus & cœpisse & consummata fuisse Imperij Rom. incrementa affirmat: ideoque sciatis me iam vos eousque deduxisse, vel *Polybium* potius vos deducturum, quo digitum intenderat ille quem suprà nominaui, nescio quis *Æmilius Sura*; nempe ad illud æui, quo Pop. *Romani* magnitudo & potentia in tantum creuerat, vt penes eos summum totius orbis Imperium fuisse iure dicamus. Quapropter, cum inter eminentia illa quatuor Mundi summa Imperia, de quibus loquuti sumus, maximè eminuisse Romanorum istud constet, cumque eorum Resp. (vti prudenter obseruat ex *Polybio* eruditissimus *Casaubonus*) si qua vnquam alia, omnes temporum diuersitates, secundum naturæ

AM. 3619.

Paterc. lib. 1.

turæ communes leges sit experta, conducibile erit nostro Historiarum Lectori, retrò hîc aliquantum spectare, & ipsa Romanorum primordia repetere, atque inde ad incrementa adscendere, postea inclinationem eorum ad interitũ contemplari, recto ordine, temporum, atque Authorum, diligenter obseruato; tum demum ad exitum illius interualli perueniemus, quod tertio loco nobis definiuit ex *Varrone Censorinus*. Atque hîc Rom. Historicorum fata lugendi iusta nimis præbetur occasio; quorum pars magna penitus interijt, pars reliqua, vt vetustate corrupta, vt Temporum inuidia fœdè mutulatá, vt *Sciolorũ* manibus interpolata, pessimèque tractata fuerit, neminem antiquitatis indagatorem fugere potest. *Trogus* desideratur totus, *Salustij* optima perijt Historia, de *Liuio* minimum superest, non multum de *Tacito*, dimidiatus extat *Ammianus*: eandem passi sunt Temporum iniuriam *Græci*, rerum *Rom.* Scriptores, *Polybius*, *Diodorus*, *Dionysius*, *Dion Cassius*, qui si extarent integri, perfectam haberemus rerum *Romanarum* memoriam ab V. C. ad Annum paulò minùs millesimum: sed contenti simus hoc *Catone*; diuinâ factum prouidentiâ est, vt ex ijs qua adhuc supersunt reliquijs Historiæ *Rom.*

corpus

corpus concinnari possit satis venustum, cuius imaginem ab Authore nostro *L. Annaeo: Floro*, breui quasi tabella eleganter expressam reperietis. Hanc igitur Historiæ *Rom.* studiosum, intentis oculis atque animo, primum intueri suadent doctissimi viri, & Rei Historicæ peritissimi, quàm meritò suo loco dicetur. Post Imaginem corpus ipsum per partes lustrare pergat; quod hoc ordine, (si me audiat) diligenter faciet. *Dionysius Halicarnassæus*, scriptor omnium confessione grauissimus, & in *Rom.* antiquitatibus peruestigandis, & describendis accuratissimus, 11. lib. qui supersunt, *Romanorum* originem, & 312. annorum Historiam multa fide prosequitur: hic mea mente ducat agmen; & post hunc sequatur *Latinæ* Princeps Historiæ, *T. Liuius*; primis tribus lib. multa habet cum *Dionysio* communia, (quæ dum tanta sermonis suauitate atq; eloquentia profert, repetere non pigebit) reliquis septem lib. Decadis primæ, continuat Historiã ad annum V. C. 461. Secunda Decas tota desideratur, hoc est, à lib. 10. ad 20. Historia scilicet annorum 70. Cui defectui supplendo inseruiunt Epitomastis illius (Authoris nostri cognominis) argumenta. Ad eonsummandam igitur istorum tempo-

Ab V. C. h. e. ab A. M. 3198. ad A. M. 3509.

A. M. 3658.

rum Hiſtoriam adſciſcendus eſt *Plutarchi Pyrrhus*, *Polybij*, 1 & 2. & ſi placet, *Oroſij* 4. *Eutropij* 3. à lib. 20. ad 45. hoc eſt, per duas Decades & dimidiatam, continuam habemus hiſtoriam annorum 56. Nouem Decades cum dimidia (quatuordecim enim ſcripſerat *Liuius*) hoc eſt, 95. libri prorſus periêre; Hiſtoria, ſcilicet, 158. annorum. Horum lib. periochæ ab Epitomatore predicto extant collectæ, quibus amplificandis, legendus eſt *Appianus Alexandrinus*, *Plutarchi Æmilius*, *Flamminius*, *Catones* duo, duo *Gracchi*, duo *Scipiones*, *Marius*, *Scilla*, *Lucullus*, *Craſſus*, *Sertorius*, *Pompeius*, *Cæſar*, *Cicero*, *Antonius*, ſuo quiſque tempore. Hos inter, *Saluſtij* Bellum *Iugurthinum* ponat, *Catilinarium* etiam adiungat, & *Cæſaris* Commentarios. Deniq; pergat ad *Cæſariorum* temporum Scriptores. Incipiat à *Suetonio Tranquillo*, emendatiſſimo Scriptore: duodecim primorum *Cæſarum* vitas optima fide deſcripſit, vſque ad mortem *Domitiani*. Poſt quem ſi *Nerua Cocceij* & *Traiani*, duorum inſignium bonitate Principum vitas, e *Dione*, *Aurelio Victore*, *Xiphilino* aut alio quopiã *in vtr[illegible]* aduectat, immediatè & recto ordine ſequetur *Spartiani Hadrianus*, *Capitolini Antoninus*, cæteriq; Imperatores, quorum vitæ & res

A. Chriſti 95.
An. V. C. 847.

res gestæ à sex illis Historiæ Augustæ scriptoribus in literas referuntur, quos accuratè emendatos atque illustratos, *Isaacus Casaubonus*, nouissimi huius seculi immortale decus, & *Claudius Salmasius*, rerum literarumque veterum impensè doctus, haud ita pridem nobis dederunt. Hi Lectorem nostrum vltra annum 1036. ab V. C. deducent, nempe ad mortem *Carini* Imp. cui successit *Diocletianus*. Fatendum est, in hac serie, quam nobis exhibent Authores isti vltimò nominati, hiatum quendam esse inter *Gordianum* tertium, & *Valerianum* Imp. *Gordiano* enim non successit immediatè *Valerianus*, sed duo *Philippi*: ijs *Decij*; deinde alij. Huic itaque defectui supplementum quæratur ab *Aurelio Victore*, aut, si placeat, à *Pomponio Lato*, qui *Romanæ* Historiæ compendium ab interitu *Gordiani* iunioris vsq; ad *Heraclium* concinnauit. Ab his etiam, vel ab *Eusebio*, *Sozomeno*, *Zonara*, alijque *Græcis*, *Diocletiani*, *Constantij Chlori*, *Galerij* & *Constantini M.* Historiæ petantur; atque hinc recta adeat Lector *Ammianum Marcellinum*, qui res gestas sequentium Imp. paulò vltra *Valentis* mortem prolixè & splendidè narrabit, vsq; ad annum ab V. C. 1130. post hunc si *Paulo Diacono* Historiam *Miscellam* accersat, eique adiungat *Iornandem* A. Christi 286.

dem

dem de Regnorum ac Temporum ſucceſſione, & de rebus *Geticis*, non inclinationem modò, ſed etiam interitum *Romani* Imperij videbit. De Imperij inclinatione ex profeſſo ſcripſit *Zoſimus*, ita ipſe de ſe teſtatur; atque à *Cæſare Octauiano* exorſus ad vrbem ab *Alarico* duce captam, perpetua ſerie lib. 6. Hiſtoriam contexuit: Ab eo ipſo tempore pergit *Blondus Forliuienſis*, & rerum geſtarum ſeriem poſt inclinationem Imperij, *Gothorum*, *Vandalorum*, *Longobardorum*, aliarumque gentium facta narrans, continuat vſque in annum *Chriſti* 1400. Breuiter Hiſtoriam *Cæſaream* ſcripſit *Iohannes Cuſpinianus* vſque ad 1. annum *Maximiliani* 1. vnde orditur *P. Ionius*, & Hiſtoriam vniuerſalem ſplendidè ſatis & ornatè per 50. annorum ſpatium continuat: eum excipit Præſes ille celeberrimus Pariſienſis *Iacobus Auguſtus Thuanus*, qui inter Hiſtoricos ſuæ ætatis facilè principatum obtinuit, hiſtoriamque rerum per totum orbem geſtarum ab anno *Chriſti* 1545. vſque ad annum 1608. ſtilo perquam luculento propagauit. Non ſum neſcius alios multos eſſe authores, qui nationum quarundam particularium geſta ſtilo ſunt proſecuti, non antiquos modò, ſed & recentiores etiam ſuo tempore lectu digniſſimos, quales ſunt

A. Chriſti 412
An V.C. 1162

F. Gnit.

F. Guicciardinus inter *Italos*, *P. Aemilius*, & *Ph. Comminæus* apud *Gallos*, de rebus *Belgicis Emman. Meteranus*, & inter nostrates, quem cum quolibet antiquorũ compono, Clarissimus GVLIELMVS CAMDENVS, munificentissimi huius Spartæ nostrę conditor & Patronus. Sed mihi animus non est omnes recensere; aut quis vnus potest? nedum legere. Id verò operam dedi, vt Auditoribus meis, præsertim Iunioribus, Authorum classem quandam, recto ordine dispositam, proponerem, vnde temporum varietates ac rerum gestarum series, vsque ad hoc nostrum seculum distinctè haberi possint. Atque hactenus de primo capite.

De Lectore idoneo secundo loco disquirendum est; quod faciemus breuiter. Si rectè *Aristoteles* 1. Eth. cap. 3. οὐ πολιτικὸς ἐν τοῖς ἀνοήτοις λόγοις ὁ νέος, *Iuuenis non est ciuilis Philosophiæ idoneus auditor*; quid prohibet quo minùs nos etiam de congruo Historiarum Lectore idem sciscamus scitum? Quandoquidem Historiam nihil aliud esse quam philosophiam exemplis vtentem sapientes pronunciârunt; Auditori Ethico, siue Politico requiritur 1. iudicium, vt rerum agendarum præcepta internoscat; Deinde requiritur animus probè affectus, vt præcepta

Arist. 1. Ethic. cap. 3.

præcepta quæ traduntur ad vsum transferre cupiat: Ita Historiarum Lectori adsit facultas discernendi exempla, & de ijs rectè iudicandi: tum lubido adsit, quæ proba sunt imitandi, quæ secus fugiendi, omnia denique in vsum suum conuertendi: finis enim principalis τῆς ἱστορίας ἀγαθὸν ἐστὶ ψυχῆς ἀγαθὸν ἀγωγὸς. Atque ideo discendum, non vt sciamus tantùm, sed vt benè etiam agamus, vt honestè viuamus. Vnde, nec desunt qui asserunt haud vllum esse studij genus, in quo plus solertiæ, plus iudicij vsus & prudentiæ postulari videatur, quàm in historia vitæ ciuilioris magistrâ. Quò magis subuenit mirari *Iohannem Gerardum Vossium*, virum insigniter doctum, in libello quodâ de Arte historica nuperrimè edito, firmiter tenere hoc studium primæ etiam conuenire ætati: *Keckermanni* aliorumque contra sentientium opinionem reijcit, argumenta eleuat; *Nihil* (inquit) *absurdi habet (vti vult Keck:) si exempla ante præcepta addiscamus; Linguas enim optimè absque præceptis addisci posse notum est:* Deinde *non puto eos errorem committere* dicit, *qui non satis distinguant inter lectionem Historiæ alicuius, ac Historiam scribendi munus.* Denique *confundere eos ait nudam & simplicem rerum enarrationem Historiam, cum ipsa* ἀγωγὸς

I. Ger. Vossius de Art. Histor. cap. 5.

vita

vis, quæ curatè in circumstantias & eventuum causas inquirit. Hæc *Iohannes Gerardus Vossius.* Sed *Keckermanni* hîc partes libenter defendimus, & respondemus: Primò fatemur linguas posse disci absque præceptis, sed optimè posse disci negamus; inde, quamuis loqui discat quis absque præceptis, de loquelæ siue congruitate, siue proprietate iudicare, & rationem reddere nequaquam potest nisi per præcepta. Denique de ijs loquitur *Keckermannus*, qui seriò, & ex professo velint legere & notare Politica, Ethica, Oeconomica exempla, vt inde prudentes euadant, & verum Historiæ fructum reportent. 2°. Aut fallit, aut fallitur *Vossius*, dum Philosophiam practicam necessariam concedit Historiam scribenti, legenti negat, cùm idem sit vtrique finis propositus; huic, vt viuendi rationem exemplis discat; illi, vt eandem exemplis doceat; illi vt prudentiam mortalibus, alienos repetendo casus, insinuet; huic, vt sibi eosdem obseruando eandem comparet. Dissentit à *Vossij* mente, vir doctrina, iudicio & eloquentia suo tempore præstans, *Sebast. Foxius*; is enim sic; *Qui accuratè* (inquit) *historiam velit legere, quo modo sit ea scribenda nosse necesse est, &c.* Et postea rationem reddit, quod *artifices & eruditi, artificiosa* *Foxius lib. de Instit. Hist.*

tisfeloſa, & erudita tantùm noſcant, non rudes & imperiti. Diſſentit *Iohannes Viperanus*, vir etiam literaturæ haud contemnendæ: *Et magni quoque viri eſt*, (inquit) *prudentis & boni veros fructus ex hiſtoriarum lectione colligere*; & mox, *Qui ad Philoſophiæ præcepta ex empla adiunget, is magnos fructus ex hiſtoria capiet, ac perfectam & abſolutam ſapientiam conſequetur.* Quid quod ipſe *Voſſius* eodem libè *Sic*, inquit, *ſtatuendum, vel præcipuum eſſe hunc hiſtoriæ fructum, vt ex ſimilibus vel contrarijs colligamus, quid priuatim aut publicè expediat, nam prudens quieſſe volet, debet obſeruandi eſſe ſtudioſus.* Quod cùm pueri, atque Artium ignari eſſe nequeant, præcipuo hiſtoriarum fructu legendo priuantur. Denique ad tertium Argumentum dicimus, Lectori, quem hîc cupimus, non ſufficere nudam ac ſimplicem omnium rerum hiſtoriam, ſed quod inquit *Dionyſ. Halic.* *Vniuſquiſque vult ipſas etiam cauſas quærere, & modos quibus res peracta ſit, & conſilium eorum qui negotia ſunt aggreſſi.* At numquid iſthæc pueri ſatagunt? numquid illiterati, & rudes Artium viri hæc perquirunt? aut cui bono, ſi de cauſis, conſilijs, circumſtantijſque neſciant judicare,

Viper. de Hiſt. cap. 5.

Dionyſ. Halic. lib. 5.

care, aut in vtilitatem suam convertere? Vt puellę flores tantùm excerpunt ad oculos & sensus corporis exhilarandos; pharmacopolæ verò vniuersa herbarum folia, flores singulos, minutissimas plantarum fibras, & radices ad medendum, & hominum sanitatem referunt: Sic pueri libris Historicis quasi trocho & astragalis ad ludendum vtuntur, auditâque, vel inspectâ rerum gestarum magnitudine aut nouitate, lætitiâ incredibili gestiunt, aut pauore examinantur; qui autem artibus mediocriter versati sunt, experientiáq; aliquali ac judicio exornantur, eos (legendo Historias) pauca effugiunt, diuina instituta, jura humana, consilia vniuersâ, varia rerum euenta, Domestica, Politica, Bellica, Pacifica, omnia magno cum fructu & voluptate ad ciuilis societatis & prudentiæ vsum referre solent. Quare vt hoc etiam caput concludamus, dicimus primò, Lectorem studiosum, sedulum, honestum requiri: Deinde, eum sic probamus, si Philosophiæ practicæ præcepta degustauerit; si Chronologiæ & Geographiæ notitiam, saltem communem illam imbiberit; si denique aliarum Artium cognitione mediocri, rerumque experientia nonnulla fuerit ornatus;

huncidoneum historiarum Lectorem tandem censemus.

Superest iam caput vltimum; inter legendum quænam sunt eligenda, & quo modo. Paucis hoc valdè possem conficere, si tantùm ad *Augusti* Imperatoris exemplum imitandum, meum vocarem Historiarum Lectorem. De eo *Suetonius*; *In laudandis* (inquit) *vtriusque linguæ auctoribus, nihil æquè solebatur quàm præcepta & exempla publicè & privatim salubria, eaque ad verborum excerpta, aut ad domesticos, aut ad exercitum provinciarumque Rectores, aut ad proximi magistratus plerumque mitteret, prout quique monitione indigerent.* Sed latiùs paulò extendimus Historiarum vsum; neque tamen prolixi erimus. Apud Historicos alia sunt quæ ad doctrinam magis faciunt, alia quæ ad prudentiam; alia quæ linguam formant, & dicendi facultatem perficiunt, aut verum antiquarum notitiam conferunt; alia verò quæ ad vitam potiùs instituendam, & ad mores effingendos conducunt. Quare duo excerpendorum genera in vniuersum statuimus; Philologica, & Philosophica. Sub Philologicis non ea solum, quæ ad sermonis elegantiæ, linguæ politiem, phrasin, aut verborum

Suet. lib. 2. cap. 89.

proprietatem ſpectant, ſed omnes etiam veterum conſuetudines, omnes ritus, ceremonias, ſolennia cuiuſcunque generis, ſiue verba, ſiue facta, ſiue loca, ſacra vel profana comprehendimus. Præterea, Monarchiarum & præcipuorum in mundo regnorum ſeries, gentium familiarumque origines, vrbium conditus, colonarum deductus, tum opera quæuis magnifica, ingentes opes, potentiã vltra modum immenſam, ſtupenda prodigia: Denique quicquid cum admiratione legendum, & quod merito dicatur memorabile, huc referimus. Sub Philoſophicis autem, (vt compendio dicamus) ea complectimur omnia, ſiue dicta, ſiue facta, ſiue conſilia, quæ ſui cultoribus affatim miniſtrat Hiſtoria, vt documenta ſint ad inſtitutionem vitæ humanæ, publicæ & priuatæ, togæ vel ſago. Hæc, inquam, dum legimus ſunt obſeruanda, hæc ſunt excerpenda, & in locos quoſdam communes ordine diſponenda, quorum ſtudio, ſicut imaginibus cereis (vt loquitur nescio quis) corpores & languentes memoriæ adiuuare, excitare, irritare poſſimus vtendo ſuturibus conſilijs, infinitis ſimilibus aut diſſimilibus, pariũ aut impariũ, exemplis abundemus; agenda fugiendaque, dicenda, & tacenda percipiamus; veris rerum

rum eventa præsentiamus; causas rerum teneamus, & malis imminentibus præteritorum recordatione occurramus. Nimius forem, si locorum communium formam hîc & Methodum instituere, aut plenam materiarum, quæ in Historia continentur, indicem, formare conarer: id dudum à multis & accuratè factum, à *Bodino*, *Bouvero*, *Glasero*, alijs. Accuratissimè verò à *Barthol. Keckermanno*, in apparatu suo ad Philosophiam practicam. Modus tamen excerpendi, & in vsum transferendi ea quę natura sunt digniora, in graui domo aliquibus fortassis erit, à me si breuitati hic proponatur. Neque tamen à me ipso erit, sed ab ipso *Seneca*; quanto viro? *Non est* (inquit) *quod inuideris, eandem materiam, suis quemque studijs aptè colligere. In eadem prato herbas quærit Gauisa Leporem, Cicenia lucretum. Cum Ciceronis libros prehendit, hinc Philologus aliquis, hinc Grammaticus, hinc Philosophus, dederunt. Alius alia tuendi vitia. Philosophus aduersus contra Sententiam dicta multa potuisse. Cum ad hanc eandem oblectamenta Philologus accessit, hoc subuolat: duos Romanos Regnasse, quorum alter patrem non habet, alter matrem. Nam de Seruij matre dubitatur. Ancij pater nullus, Numæ non traditur. Non legunt notas Romulum perisse*

Senec. ep. 108.

risse Solis defectione. Pronunciationem ad populum à regibus fuisse. Eosdem libros cùm Grammaticus explicuit, primùm, Reapse dici ab Cicerone i. reipsa, in commentariis refert: nec minus sepse, i. seipsa. Deinde transit ad ea, quæ consuetudo seculi mutauit: tanquam quod ait Cicero, quoniam summus ab ipsa calce eius interpellatione remocati: Hanc quam nunc in Circo Metam vocamus, calcem antiqui dicebant. Hæc Seneca, atque alia plura, quibus nihil luculentius, nihil disertius, aut ad nostrum propositum magis dici potuit. Addam tamen ex mea ipsius obseruatione, vnum atque alterum exemplum, vt quid auditores meos facere velim, ipse faciendo demonstrem. Primum in Philologicis locum suppeditabit *Velleius* lib. 1°. Eadem (inquit) anno quo Carthago concidit (à Scipione subiata) Lucius Mummius Corinthum, post annos octingentos quinquaginta duos, quam ab Aleate, Hippotis filio, erat condita, funditùs euertit, vtenque Imperator, deinde à se gentis nomine honoratus, alter Africanus, alter appellatus est Achaicus, nec quisquam ex nouis hominibus prior Mummio cognomen virtute parauit. vindicauit. Hactenus Velleius: quibus plurima habet obseruare Philologus. 2° fatale quasi fuisse vrbibus euertendis id æuum. Duosque illos oræ maritimæ

Cretam legit Mutetus & probat.

timæ oculos ſita appellat *Cicero*) vno eodemque anno effoſſos. 2° Harum vrbium rerumque publicarum periodos notet. *Carthaginis* Annorum ſexcentorum ſexaginta ſeptem, vel (vt *Liuij* epitomator computat) ſeptingentorum. *Corinthi*, octingentorum quinquaginta duorum. Vnde axioma illud *Pancratianum* clareſcet: Nempe, *perindè ſeptingentorum annorum, & mutationes regnis & rebuſpub. attuliſſe inſignes*: quod pluribus etiam confirmari poſſet exemplis. 3° Ciues Rom. in triplici fuiſſe diſcrimine; *Nobiles*, *Nouos*, *Ignobiles*: nam qui maiorũ ſuorum habuerunt imagines, hi *Nobiles*; qui ſuas tantum, ij *Noui*; qui nec maiorum nec ſuas, illi demum *Ignobiles* ſunt appellati. 4° Deniq; *Mummium* primum ex Nouis deuictæ gentis appellationem adeptum, vel *Martium Coriolanum* ex *Patricijs* & Nobilibus fuiſſe primum, qui captum oppidum ſuo nomini inderit. Huc adiiciebat obſeruationem *Plutarchi*, rationem, ſcilicet, cognomentorum apud Græcos & Latinos frequenter ductum eſſe ab actione notabili, aut à caſu, aut à forma corporis, aut à virtute aliqua ſingulari. Vt *Sulpitij*, *Calliclei*, *Gryphi*, quorum hoc naſo adunco præditum, illud ſeruatorem, iſtud egregiæ victoriæ potium ſignificat. Secundum

Cic. de Nat. Deor. l. 3.

Pancrat. lib. de Diuin.

Plutarch. in Coriol.

cundum locum *Cor. Tacitus* suggerit; Is, quam corrupta fuerint tempora sub *Tiberio Cesare* narratis, huiusmodum loquitur: *Cæterùm tempora illa adeò infesta, & adulatione sordida fuêre, vt non modò Primores ciuitatis, quibus claritudo sua obsequijs protegenda erat, sed omnes Consulares, magna pars eorum qui Prætura functi, multique etiam pedarij Senatores certatim exurgerent, fœdaque & nimia censerent.*] Hæc *Tacitus*. Vnde Grammaticorum, Philologorumque filij obseruent, Primores Ciuitatis hic vocatos, quos Optimates *Capitolinus*; *Aurel. Victor*, nobilium optimos; & ipse *Tacitus* non raro Proceres nuncupat: Aliquibus etiam Principes Ciuitatis πρωτεύοντες sunt dicti. Deinde Consulares esse, quos ex Consulib. viros, siue viros Exconsules dicimus, qui Consulatu iam functi essent: eosdemque iuxta & Exprætores, siue viros Prætorios, cæteroſq; quicunque magistratus curules gessissent, veniendi in Senatum, & sententiam dicendi ius habuisse. Vltimò Senatorum distinctionem hinc notent; alios *Patricios*, *Conscriptos* siue *Adlectos* alios, alios *Pedarios*: illos à centum patribus, quos *Romulus* vibis parens & conditor elegit oriundos, illos Regum, Consulũ, Censorumue decreto lectos, hos quod vbi reli-

Cor. Tacit. l. 3. An.

Fenest. l. 2. c. 1.

Sigon. Rosin. Lips.

quiſella curuli in Senatum veherentur, hi pedibus iter facerent, (vt nonnulli cenſent) vel quod pedibus irent in ſententiam aliorum: Sententia, non verbis, ſed tranſitione profeſſa, vel diſceſſione, (vt alij) olim ſic dictos. Iam vero in Philoſophicis, hanc Normam ſequatur Lector: Omnia exempla, ſiue Ethica, ſiue Politica, ſiue Oeconomica, tam virtutum, quàm vitiorum, ex Hiſtorijs, non obſeruet modò, deducat, & vndique colligat, ſed ad leges etiam, & regulas vitæ, artiſque Principia prudenter accommodet; Iuxta illud *Plutarchi*, ὁμοίως τοῖδμη πᾶσιν ἁρμόζει, μόνη δὲ οὐκ πάντα τοιάδε ἐστίν, *Applicandus lapis amuſſi, non ad lapidem amuſſis eſt.* Authores ipſi non rarò faciunt. *Herodotus* totam belli Troiani Hiſtoriâ ad cõmunem iuſtitiæ regulam refert, dicendo ὅτι τὰ μεγάλα ἀδικήματα, μεγάλας εἶναι ἐς τὰς τιμωρίας παρὰ τοῦ θεοῦ; *Magnarum iniuriarum magnas à Deo vltiones eſſe.* Ita etiam *Polybius*, exemplo *M. Attilij* docet, μὴ δεῖν ἐμπιστεύειν τῇ τύχῃ τὰ τοιαῦτα καὶ τὰς ἐπιβολὰς ποιεῖσθαι; *Fortunæ non fidendum, præcipue in rebus latis*; eo quod *Attilius*, qui paulò ante nullum miſericordiæ locum dabat, neque vllam afflictis Carthaginienſibus veniam concedebat, mox ductus ipſe eſt, ijſdem pro ſalute ſua ſupplicaturus. Eodem in loco oſtendit verificatũ *Euripidis* dictũ,

A. Gell. l. 3. c. 18.

Suet. Tiber. 51.

Plutarch. de profect. virt.

Herodot. in Euterp.

Polyb. l. 1.

δεῖ

ὁ τὸ κοινὸν βέλτιστον εἰδὼς νοῦς, χεῖρα σώζει. *Vnicũ rectũ consiliũ magnã militũ manũ vincere.* Exemplo *Xanthippi* Lacedæmonijs qui vnus vnica sententia legiones Romanas antea inuictas habitas atque insuperabiles, vicit ac superauit; vrbemque profligatam, & collapsos tot virorum animos instaurauit atque erexit. Hoc igitur vt exactiùs faciat Lector noster, cuiuslibet facti siue etiã Consilij causas inquirat, circũstantias adpellet, successũ ponderet, singulatimque in quo quid benè ac prudenter, quid malè imprudenterque gestum sit, spectet. Inde præceptum, monitum siue regulam Vniuersalem ipse etiam eliciat licet, eamque sententijs pluribus comprobet, exemplisue illustret. Specimen vnum atque alterum accipite. Ex suprà citato *Tacito* loco, prudentiæ ciuilis studiosus hunc elicere potest Aphorismum, *viz.* Vbi libertas pristina est extincta, & fides in obsequium seruile submissa, plerique omnes etiam Magnates viri in præceps aguntur, adulandi fit certamen, & vna est contentio dicta & facta omnia ad alienum fingere arbitrium. Aulicus Politicus hunc: Viri clarissimi, quorum verba & vultus Princeps diligentissimè obseruat, eaque sæpiùs in crimen detorquet, promptis in illum obsequijs dignitatem suam protegere opus habent.

Polyb. ibid.

Vid. Epistolam March. Oran. apud Camer. Hist. Medit.

Pag. 25

bent. Accipite alterum ex Authore nostro, Lu. An. Flore deductum, qui Camilli victoriam in Falisces pauciſsimis quidem verbis, at ſenſibus plenis eleganter ſic narrat: *Faliſci cum obſiderentur, mira viſa eſt fides Imperatoris, nec iniuriè, quòd Ludimagiſter ciuibus proditerè, cum iis quos adduxerat pueris, vinctum ſibi aſtrò remiſiſſet [quid fiet] ſe ſponte Faliſci dediderũt.* Huic geminũ eſt præclarum illud *Fabricij* factum erga *Pyrrhum*: *Frontini* verbis repetam. *Ad Fabricium Ducem Romanorum, Medicus Pyrrhi Epiroterum regis peruenit, pollicitusque eſt daturum ſe Pyrrho venenum, ſi merces ſibi, in qua operæ pretium foret, conſtituerentur. Quo facinore Fabricius egere victoriam ſuam non arbitratus, regi medicum dedit: Atque eâ fide meruit, vt ad appetendam amicitiam Romanorum, compelleret Pyrrhum.* Nos hinc quid aſtruemus? Regulam ſcilicet vniuerſalem, quantiuis pretij, ab Authore noſtro diſertis verbis expreſſam, hoc modo: *Eatandem vera eſt habenda victoria, quæ ſalua fide & integrâ dignitate parari poteſt.* Valer. *Maximus* ad parem ſenſum: *Tum demùm victoria apud Deos & apud homines minimum inuidiæ habitura eſt, cum plurimum humanitatis habuerit.* Nos verò hanc eandem regulam propoſuimus: *Verâ ſi quis*

Flor. l. 1. c. 13.

Front. l. 4. Strat. c. 4.

greſſari

greſſari viâ deſideret ad compendioſam victoriam, meminit erga ipſos hoſtes principis ſui clementiæ. Porrò, hinc diſcamus licet, viros prudentes & ſapientiæ plenos, moderatione plura quam vi componere. Item, res conſilio peragi & moderatione, de quibus via deſperauerat: iuxta illud *Claudiani*,

——peragit tranquilla poteſtas,
Quod violenta nequit.——

Frequens in hiſce vſibus eſt *Polybius* (vti antea audiuiſtis) & Lectorem ſuum plerunque labore leuat; neque enim docet ſolùm, quàm vberes fructus ad rationes vitæ, geſta Maiorum ſunt allatura, ſed etiam quo pacto illos percipere quis queat, ſemper ferè demonſtrat. *Seruius Sulpitius*, vt *M. Ciceronem* filiæ ſuæ mortem grauiter dolentem conſolaretur, meditationem quandam, planè diuinam, quam ſecum quondam ipſe habuerat, ei commemorat. Eam huc adijcere libet; eſt enim auro contrà non cara, & ad noſtrum hoc negotium illuſtrandum maximè appoſita. *Ex Aſia* (inquit) *rediens, cum ab Egina Megaram verſus nauigarem, capi regiones circum circa proſpicere. Poſt me erat Egina, ante Megara, dextra Pireus, ſiniſtra Corinthus: quæ oppida quondam tempore florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata & diruta ante oculos iacent.* *Cic. Ep. fam. l. 5. Ep. 5.*

Capi

Cæpi egregiè mecum hæc cogitare; Hem! nos hominunculi indigni mortis, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, unus vno loco tot cæsorum cadaverum proiecta incommodat? Vis ne tute, Sarmi, cohibere, ac meminisse hominem te esse natum? Crede mihi cogitationes eâ vim mediocriter suam confirmaturas: hoc idem, si tibi videtur, fac antè oculos tibi proponas. Atque hoc idem *Sulpitij* exemplum, si noster Historiarum studiosus, legendo, diligenter fuerit imitatus, largos indubiè, & veros laboris sui fructus secum reportabit.

FINIS.